

PROSPERI  
FAGNANI  
COMMENTARIA  
IN QUINQUE LIBROS  
DECRETALIU.

55574



PROSPERI  
FAGNANI  
JUS CANONICUM,  
*SIVE*  
COMMENTARIA  
IN PRIMUM LIBRUM  
DECRETALIUM.

*CUM DISCEPTATIONE DE GRANGIIS,  
quæ in aliis Editionibus desiderabatur; ac ipso  
Textu suis locis aptè disposito.*



COLONIÆ,

Apud WILHELMUM METTERNICH Bibliop.

Anno M.D.C.C.IV.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

A D  
JURISPRUDENTIÆ STUDIOSOS  
Bibliopola.



**S**I quid gloriosum, splendidumque de horum voluminum præstantia, & celebritate præfari voluero, Studiose Lector, nil sanè splendidius fore duxerim, quàm ipsum Auctoris nomen pro ingenti totius Operis ornamento hujusmodi librorum fronti, atque fastigio apponere.

Per tot enim, tantorumque virorum ora, & encomia Illustriss. ac Reverendiss. PROSPERI FAGNANI gloria aucta fuit, cumulatæque semper in diem, ut meritò crediderim illum pro norma rectè, sapienterque divini humanique Juris interpretandi regulas orthodoxæ Posteritati à Deo Optimo Maximo datum fuisse.

Quis etenim si virum illum tanta præditum Idolis sublimitate, tanta mentis perspicacia, tanta morum innocentia, ac pietate perspexerit, eum in commune sacrarum litterarum bonum natum fuisse negabit.

Educatus nimirum per omnem honestarum artium cultum vix prætergressus ephebas tot vetustissimæ Fagnanorum Gentis Arvita decora non ad fortuna supercilium, sed ad virtutis imitamentum suspiciens, ita pueritiam, adolescentiamque transegit, ut vigesimo ætatis suæ anno nondum expleto, juris universi methodum tercentum problematis pro doctorali laurea Perusino in Lyceo contra inopinata impugnantium argumenta in utramque partem discutienda exposuerit.

Hinc est, quod præclarissimi hujus facinoris fama, Romanam etiam Aulam mirabiliter commovente, Paulus V. Pontifex Maximus loco celebris Joannis Francisci Fagnani ejus patris, illum Sacre Tridentini Concilii Congregationi à Secretis anno ætatis suæ secundo supra vigesimum suffecit; A subsequentibus insuper Summis Pontificibus Sacra Congregationi super negotiis Episcoporum & Regularium, deinde Apostolica Visitationis, alteriusque super statu, & reformatione Regularium; Indulgentiarum itidem & aliarum eodem Secretarii munere decoratus; demandata quoque illi explicandarum Canonum in Summo Sacre pœnitentiariæ Tribunali provincia, postea verò ejusdem Tribunalis Sigillo eidem collato, ut eodem tempore undecim sacris confessibus, quamvis cecitatis infortunio affectus, inseruiret.

Quæ omnia quanta vigilantia, quanta sedulitate, quanta animi probitate, cum omnium laude exercuerit, tot, tantaque negotiorum momenta nos docent, quibus cum, Summi Pontifices Urbanus VIII, Innocentius X., Alexander VII., Clemens uterque IX. & X., & Innocentius XI. usque ad annum ætatis suæ nonagesimumprimum, quo ultimam vitæ periodum clausit, assidue, incessanterque cumulavere, maximeque fecere.

Quinimò funebri superstes rogo, & supremo cineri vivax, aurea hac in quinque Decretalium libros Commentaria, quæ nunc cum ipsomet Textu, atque Disceptatione de Grangii prodeunt è meis typis, in Ecclesiastica reipublica felicitatem, sacrarum litterarum amatoribus, ac præcipuè Tibi, benigne Lector, tanquam ingens suæ prudentiæ, doctrinæque monumentum reliquit. Vale.